Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.

Wien, 1799 Seite 301

Quelle:
Copyright:

Epiſtola ad *Galatas* ad Epiſtolam ad *Hebraeos*. Manifeſte igitur prior ejus Pars ab hac poſteriore divulſa eſt. Incipit haec a Prologo hujus modi: *Paulus Apoſtolus &c. Hanc Epiſtolam ſcribit apoſtolus galatis, galate autem ſunt greci* &c. et finit: *purgacio peccatorum et alia dei munera ſint cum omnibus uobis. Amen.* Poſt relatam ſupra ὑπογραφὴν *Scholaris* ille, qui inter antiquiſſimos *Viennenſis* Gymnaſii cenſeri poteſt, adjectis tribus lineis ignoto charactere exaratis crucem fixit lectoribus, cui revellendae inmorari non eſt viſum operae pretium. Collectanea *Petri Lombardi* in *Paulum* e PP. ſaepius prelo ſubjecta extant.

Membrana Codicem ambiens mutilas exhibet *Literas Johannis XXII.* datas *Avenione V. Kal. Maj. Anno Vndecimo*, itaque 1327. quibus injungit *Abbati S. Martini de Sacromonte Pannonie Jaurien. dioc.* ut procuret reſtitutionem variorum Bonorum et Inſtrumentorum ad Capitulum *Poſonienſe Strigonien. dioc.* pertinentium, quae a nonnullis ignotis Filiis iniquitatis occultata detinebantur.

CCI.

U. 31 Codex partim membraneus, partim chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 397. f. per duas columnas bene exaratus et rubricis enotatus, quem *ad Collegium beate Marie Virginis domus Rubee Roſe aput fratres predicatores In Wyenna* teſtamento dedit *M. Paulus ex Melico* art. et ſacrae paginae Prof. *ac eccleſie ad ſanctum ſteffanum decanus premeritus* mortuus *in die priſce Virginis* 1478. ut Theca *Codicis* anterior perhibet, complectitur *Nicolai de Lira O. M. Poſtillas in Epiſtolas D. Pauli, VII. Canonicas, Actus Apoſtolor. et Apocalypſin*, quibus additur *fol.* 382. *Queſtio Nicolai de lyra contra iudeos.* Initium eſt: *Ecce deſcripſi eam tibi tripliciter* &c. Ad calcem Paulinarum: *Explicit — Anno domini M° CCCC° 53° ſabato die ante dominicam Letare eſt finita.* Ad calcem Apocalypſeos: *Explicit — Sub Anno domini Milleſimo &c. Quinquageſimotercio In Vigilia Sancti Thome Apoſtoli. Vlricus plannck.* Demum ad calcem Quaeſtionis: *Explicit queſtio Magiſtri Nicolai de lira contra iudeos ſcripta pariſius Finita Anno domini M° CCCC 1°. Vlricus plannck.* Atque hic annus in manifeſto mendo cubat; neque enim *Liranus* a. 1340. mortuus Opuſculum hoc ſcribere a. 1401. potuit, neque *Ulricus* illud hoc anno finire, qui finiit praecedentia a. 1453. Opuſculum iſtud, quo Chriſti Divinitas vindicatur, etiam in Editionibus *Poſtillis* et *Bibliis* gloſſatis adjunctum eſſe ſolet. Incipit: *Utrum ex ſcripturis a iudeis receptis poſſit efficaciter probari* &c. Extat tamen et alias impreſſum. *Ulricum Plannck* Theologorum Pedellum fuiſſe, ex alio Codice liquet.

CCII.